



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xxx. De officio iudicis ordinarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

qui in canonem promulgatæ sententiæ inciderint propter sacrilegas in clericos manuum iniectiones rectè absoluto.

Extra commissam verò sibi prouinciam Ro. *9. Excomunicatis* ecclesiæ legatis, si non à latere missi erunt, neq; ibidem in alienigenas, nec his qui ecclesiarum suarum prætextu legationis dignitatem sibi vendicabunt, etiam in prouincia sua & in subditos suos, nisi speciali gratia hoc ipsis ampliùs concedatur, hoc permissum ne esto.

At quandiu legationis suæ terminos egressus *7. Nouit.* non erit legatus, etiam ex alia prouincia in aliã, si in vtraque iurisdictionem accepit, interdicti sententiam promulgandi potestatem habeto.

Prouinciæ quoque suæ vacantes ecclesias *6. Dilectus.* episcopo inconsulto, & multò magis archidiacono qui se patronum dicet (cum hic in præsentatione, quàm ille in concessione minus ius habeat) licitè conferto.

De officio iudicis ordinarij. Tit. 30.

NVnc ordinarij iudicis officium explicator. *1. Perniciosam.*
Singularum vrbium episcopis in suis diocesisibus adulteria, & scelera anquirendi, vlciscundi, & secundum canones iudicandi libera potestas esto. publicum quoque auxilium, si opus erit, aduocanto, adiscunto. Id ipsis ne præiudicato, sed cū hoc ipsi quæ deo sunt placita, prosequuntor.

Conrigundis itaque subditorum excessibus, *13. Irrefragabili, in princ.* & moribus reformandis ecclesiarū prælati prouinc.

De off. iud. ordinarij.

denter ac diligenter intendunto. exequutionem ipforum, ni formam obseruadam excessint, nulla consuetudo vel adpellatio impedito, interpellato.

12. *Licet.* Tam autem circa viros religiosos, quàm seculares clericos suæ iurisd. subiectos crimina anquirendi & conrigundi potestatem habent. Et si quid R. o. pontifex super hoc generaliter ollis mandasset: non delegata, sed ordinaria iurisdictione facere accipiunt. Si in hoc faciundo, cum licebit, adpellabitur: adpellatio nõ ad R. o. pontificem, sed ad proximum superiorem deuoluitur.

19. *Grave.* In quas tamen diocesium suarum ecclesias nec ordinariam iurisdictionem habebunt, nec si literas huiusmodi super clericorum conrectione accepserint, nec in ecclesias ipsis ecclesiis subiectas interdicti, nec in earum clericos suspensionis sententias promulgare audent.

7. *Quãto.* Quos prouinciæ suæ monachos, canonicos, & alios regulares proprium habentes, & claustro relicto curias principum sectates inueniunt, si nec ad eorum commonitionem resipiscunt, ac proprium sine difficultate in manibus prelatorum suorum secundum ipforum consilium in domus utilitatem conuertendum dimittent, & regularem vitam obseruabunt: prælatos ipsos, ut id exequantur, monent. si negligenter omittent: ipsi per suspensionem officii & beneficii adpel. re. compellunt.

13. *Irrefragabili*

θεμα.

2.3. & 4.

Si cuius ecclesiæ cathedralis canonici per capitulum conrigi consuerint: episcopus, ut intra

certum terminum conrigantur, moneto, iubeto. alioquin ipse conrigo. Ipsum verò capitulum si in episcopi contemptum, aut absque manifesta & rationabili causa à diuinis cessasset: episcopus nihilominus, si volt, in ecclesia sua celebrato, ad metropolitanū querelam deferto. Ipse tanquam delegatus à summo pontifice veritate cognita dignè castigato. Prælati hæc ad graumen pecuniæve quæstum ne conuortunto.

Quæ ab ecclesiarum prælatis in clericos vel laicos malefactores sibi subditos rationabiliter lata erit sententia vsque ad dignam satisfactionem inuolabiliter obseruator. Si quis plebanus (cū prælatus fiet) id in suos parrochianos faxit: idem esto. hi à superiore sine illius conscientia ne relaxantor.

Quas enim prælatus in subditos suos pœnas ^{8. Ad re-} canonice infliget & superior ipse obseruato, & ^{primendã} ab aliis obseruari imperato. Excommunicationis sententia per adpellationis obiectum ne suspenditor. Si quis eam iniustam archiepiscopo conqueretur: ipse suffraganeo tanquã coepiscopo deferto, conquerentem ad ipsum absoluentem remittito, amandato. absolueri si nollet: ipse iuratoria cautione recepta absoluito. Nisi quem ipsi legitime constabit contra iusticiã excommunicatum, super eo de quo excommunicatus erit vt satisfaciat competenter iniungito. Si contemnet: in excommunicationis sententiã adpel. remota reducito.

Sed & si quis parrochianos suos pro copula inlicita excommunicatione notasset ordinarius, & cauit.

De offi. iud.ordinarij

ipſi ab apo. ſede literas impetrabunt : quandiu iudicum deſidia, vel malicia cauſa protrahetur, ſi nec illi à cõiunctione inlicita abſtinebũt, etſi ab excommunicatione abſoluti ſient, ipſe eos in priſtinam excommunicationis ſententiam reuocato. ea ipſos, donec cauſa in receptione teſtiũ & aliis progreſſum cepſit, ligatos teneto.

5. Ex parte. Quos autem à ſe excommunicatos occultatiſ exceſſibus, & falſæ cauſæ prætextu à Ro. pontifice abſolutos eſſe conſtabit, cum literis ſuis rei veritatem continentibus ad ſedem apo. remittito. ſi tamen celatæ veritatis ſuſpectos tantũ habefſit: quod ipſam confeſſi fuerint, purgationem ipſis indicito.

11. Paſtoralis. Si quos verò ab apo. ſede iudex delegatus pro contumacia manifeſta excommunicafſit: hos ordinarius, præterquam in mortis articulo, abſoluere, nec ſi petitorum rei ſeruandæ cauſa in poſſeſſionem petitorum induxit, poſſeſſionem amiſſam reſtituere intra annum iuri parere volenti, & idoneè cauenti, etſi delegatus deceſſit, niſi eidem ipſe in honore ſuccedet & onere, ne præſumito. hæc ſummo pont. reſeruata ſunto. Si qui tamen id metuent, ne poſt annum aduerſarius eorum verus efficiatur poſſeſſor: coram ordinario, vel, ſi copia eius haberi nequibit, coram publicis & honeſtis perſonis cautionem, quòd iuri parebunt, offerundi ac præſtandi poteſtate habento. Sic poſt annum à ſede apo. poſſeſſionem recuperanto.

2. Si ſacerdos. Sacerdos ſi quem cuius criminis reum certò ſciet: ſi delinquentis confeſſionem recepiſit, nec

is volet emendare, nisi iudiciario ordine quis probare potest, nominatim ne arguito. Si quis inlatum sibi damnum queretur, & iusticiam petet: authorem damni, sed non nominatim, excommunicandi potestatem habeto. Quem tamen reum sciet, ne se communioni ingerat, admoneto.

Episcopi in ecclesiis suæ diœcesis canonicam obedientiam, subiectionem, & reuerentiam, institutionem & destitutionem, conrectionem & reformationem, censuram ecclesiasticam, omnium causarum ad forum ecclesiasticum de iure spectantium iurisdictionem, pœnitentias, sacramentorum, quæ ab episcopo recipiunda sunt, conlationem, synodum, eiusque sine cathedratici nomine binos solidos, decumationum, & mortuorum quartam, visitationem annuam, procurationem moderatam & æqualem habeto. hæc episcopalia iura sunt. Episcopi his contenti manento. Pro temporis tamen necessitate, si manifesta & rationabilis causa erit, cum charitate moderatum auxilium postulandi potestatem habento.

Inter supradicta citatio, causarum examinatio, & emendæ ad iurisdictionis legem non ad diœcesanam pertinento.

Viros idoneos opere & sermone potēteis ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequundum adsumunto. Hi plebes episcopis creditas vice ipsorum (cum ipsi per se nequibunt) visitantes verbo & exemplo ædificant. His, si indigēsint, episcopi necessaria subministranto.

16. Con-
querente.

18. Dile-
ctus.

15. Inter
cetera.

De off. iud.ordinarij.

Tam in cathedralibus quàm conuētualibus ecclesiis viri idonei, quos episcopi non solum in hoc, sed & in confessionibus audiendis, & penitentiis iniungendis, cæterisque, quæ ad salutem pertinent animarum, coadiutores habere possint, ordinantur.

14. *Quoniam.*

Vna verò eadēque ciuitas siue diocesis omnino diuersos pontifices ne habeto. Sed & in quibus partibus intra eandem ciuitatem atque diocesim diuersarum linguarum, morum, & rituum, sub vna tamen fide populi permixti erūt, pontifices earum viros idoneos prouidento. Hi secundum diuersitatem rituum, & linguarum diuina omnia officia celebrant, ecclesiastica sacramenta ministrant, verbo pariter & exemplo instruunt. Si vrgens necessitas postulabit: episcopus catholicum præfulem nationibus illis conformem prouida deliberatione sibi vicarium constituit. Hic ipsi per omnia subiectus & obediens esto. Si quis aliter se ingesserit: excommunicatus esto. Ni resipiscet, ab omni ministerio ecclesiastico deponitur. Brachium seculare, si necessarium erit, adhibetur.

17. *Vt iuxta.*

In monasteriis autem visitandis nullos seculares præterquam de ecclesiæ suæ canonicis duos tresve in decetū habitu visitationis tempore episcopus introducit. alios quos expedire viderit religiosos adiungit.

4. *Cum vos.*

In quibus ecclesiis, cum hæc vacabunt, propter patroni dissensionem, vel colpam, aliamve quam causam ordinarii locorum personas instituere non poterunt, nec persona erit ecclesiæ.

stica quæ præsentationem habesit, adpella. re.
 œconomos ponunt. Hi fructus percipiunt.
 Eos aut in ecclesiarum vtilitatem expendunt,
 aut futuris successoribus fideliter reseruant.

Ecclesiis sua priuilegia seruantur. Neque pri- *9. Duo si- mul.*
 mates vel patriarchæ nisi quantum sacri cano-
 nes cõcesint, vel illis ab antiquo prisca consue-
 tudo contulit, præ cæteris quicquam habent.
 archiepiscoporum qui sub ipsis erunt clerici, ni
 per adpellationem causa perferatur ad ipsos, aut
 ollis a sede Apo. erit indultum, aliquáve eccle-
 sia aut eius rector priua lege fulcietur, iudicium
 ipsorum subire ne coguntur.

Episcopi quanquam metropolitana lege ar- *11. Pastro- ralis in princ.*
 chiepiscopo subiecti sient, ipse tamen in clerico-
 sus suffraganei quibusdam casibus exceptis
 nullam potestatem habet. Causas ad ipsum
 per adpellationem deuolutas suffraganei sui sub-
 dito delegare valet, non tamẽ vt delegationem
 suscipiat, inuitum cogito.

Archiepiscopo tamen, si infirmitate aliáve *10. Quod sedem.*
 iusta causa impediatur, pro suffraganeis conse-
 crandis vices suas cpepiscoporum alicui, dum
 & catholicus habeatur, nec gratia sedis Apo.
 ipsi substracta fiet, committere licet. qui con-
 secrandus ab ipso munus consecrationis accipe-
 re tenetur.

Quibus item casibus alicui ex officio com- *20. His quibus.*
 petit pro violenta in clericos manuum iniectio-
 ne excommunicatos absoluedi potestas, alii ab-
 solutionem huiusmodi committere licet.